

CONCILIIUM TERRACONENSE DECEM EPISCOPORUM HABITUM ERA
CLIII 127r

I. *Ut etiam ad proximas sanguinis clerici cum testimonio vadant.*

II. *Ut clericis emendi vilius vel vendendi carius non permittatur licentia.*

5 III. *Ut nullus episcopus vel qui infra positus die dominico causas iudicare praesumat.*

III. *Ut qui in metropolitana civitate episcopus non ordinatur, post duos menses se metropolitano praesentet.*

10 V. *Ut episcopus, qui a metropolitano commonitus, ad synodum non venerit, excommunicetur.*

VI. *Ut diocesini clerici septimanas teneant, et die sabbati omnes in unum conveniant.*

VII. *Ut annis singulis episcopi diocesim visitent, et non plus quam tertiam de parrochiis accipiant.*

15 VIII. *De clericis et ostiariis, qui adulteris mulieribus admiscuntur, ut prohibeantur.*

VIII. *Ut nullus episcopus pro iudiciis munera accipiat.*

X. *Ut monachus missus alicubi ministerium clericatus agere non praesumat, nec negotiator existat.*

20 XI. *Ut si episcopus intestatus obierit inventarium de rebus eius clerici faciant, et nullus exinde aliquid auferat.*

XII. *Ut episcopus diocesanos presbiteros et quosdam ex laicis convenire litteris ad synodum moneat.*

25 IN NOMINE CHRISTI HABITA SYNODUS Terracona anno sexto Teoderici regis consulatu Petri sub die octavo Idus Novembris.

30 *Antiquorum patrum statuta de his censuisse videntur, quae in tempore aut ad illos relicta pervenerunt, aut certe acta testimonio proprio comprobaverunt. Cuius rei et nos sequentes exemplum illa, quae non fiunt, placuit observanda decernere, ut praeterita absque ambage custodiantur, et praesentia hac observatione sint firma. Igitur cum in unum pariter convenissemus in urbem Terraconensem, quae est metropolitana observantissime fundata, titulos subter annexos conscripsimus observandos.*

35 *I. De his, quibus cura properante proximitatem habere permittitur, ut ea cautela earum necessitates sustentent ut pietatis beneficia, quae eis sunt necessaria, a longius prebeant; ipsi vero pro visendis eis cum ingressi fuerint, clerici salutatione recurrant, nec inibi faciant mansionem. Qui tamen, cum ad earum visitationem pergunt, testem solatii sui fide et actione ante probatum adhibeant secum. Si quis haec a nobis statuta contempserit, si clericus est, loci sui dignitate privetur;*

1 TERRACONENSE] corrected from TERRACONENSIS HABITUM] corrected from HABITA 2 CLIII] read DLIII 3 clerici cum] corrected through erroneous erasure to clericici 5 III] Absent from Pseudo-Isidore's capitulatio is c. 3 (Ut clerici, si solidum praestiterint, sine usura recipiant); this and subsequent numbers are therefore behind by one. 33 properante proximitatem] read parentelae proximitate 35 cleric] read celeri

si vero religiosus vel monachus, in cella monasterii reclusus paenitentiae lamentis incumbat, ubi singulari afflictione panis et aquae victum ex abbatis ordinatione percipiat. 40

II. Canonum statutis firmatum est, ut quicumque in clero esse voluerit, emendi vilius vel vendendi carius studio non utantur. Certe si voluerit exercere, cohibeatur a clero.

III. Si quis clericus solidum in necessitate prestiterit, hoc de vino vel frumento accipiat, quod mercandi causa tempore statuto decretum est venundare. Ceterum, si speciem non habuerit necessariam, ipsum, quod dedit, sine ullo argumento recipiat. 45

III. Ut nullus episcoporum aut presbiterorum vel clericorum die dominico praepositum cuiuscumque causae negotium audeant vindicare, nisi hoc tantum, ut deo statuta sollempnia peragant. Ceteris vero diebus cohibentibus personis illa, quae iusta sunt, habeant licentiam iudicandi excepto criminalia negotia. 50

V. Ut qui in metropolitana civitate episcopus non ordinatur, post duos menses se metropolitano praesentet. Si quis in metropolitana civitate non fuerit episcopus ordinatus, posteaquam suscepta benedictione per metropolitani litteras honorem fuerit episcopi adeptus, id optimum esse decrevimus, ut postmodum statuto tempore, id est impletis duobus mensibus, se metropolitani sui presentet aspectibus, ut ab illo monitis ecclesiasticis instructus plenius, quid observare debeat, recognoscat. Quod si forte haec implere neglexerit, in synodo increpatus a fratribus corrigatur. Et si forte infirmitate aliqua, ne hoc impleat, fuerit impeditus, hoc suis litteris metropolitano indicare procuret. 55 60

*VI. Si quis episcoporum commonitus a metropolitano ad synodum nulla gravi intercedente necessitate corporali venire contempserit, sicut statuta patrum senserunt, usque ad futurum concilium cunctorum episcoporum caritatis communi-
one privetur.* 65

*VII. De diocesis ecclesiis vel clero id placuit definitum, ut presbiteri vel diaconi, qui inibi constituti sunt, cum clericis septimanas observent, id est, ut presbiter unam faciat ebdomadam, qua expleta succedat ei diaconus similiter, ea scilicet conditione servata, ut omnis clerus die sabbati ad vesperam sit paratus, quo facilius die dominico sollempnitas cum omnium presentia celebretur, ita tamen ut omnibus diebus vespere et matutinos celebrent, quia desistente clero, quod est pessimum, conperimus in basilicis nec luminaria ministrari. Si qui sane
neglegentiae vitio haec implere noluerint, noverint se secundum statuta canonum pro modo personarum canonicae disciplinae subdendos.* 70 127v

VIII. Multorum causa experientia magistrante repperimus nonnullas diocesis esse aecclesias distitutas, ob quam rem hac constitutione decrevimus, ut antiquae consuetudinis ordo servetur, et annuis vicibus ab episcopo dioceses visitentur, et si qua forte basilica reperta fuerit destituta, ordinatione ipsius re- 75

40 singulari] corrected from singularia panis] added above line 47 argumento] read augmento 52 criminalia negotia] corrected, by a much later hand, to criminali negotio 53–54 Ut ... praesentet] This, the titulus to c. 5, has been taken into the text; elsewhere these tituli have been omitted in V630. 61 indicare] corrected from iudicare 63 statuta] corrected from statu 68 unam] corrected from unum 73 noverint] corrected from noluerint 76 hac] corrected from haec 78 ordinatione] corrected from ordinationi

80 *parare praecipiat, quia tertia ex omnibus antiqua traditione, ut accipiatur ab episcopis, novimus statutum.*

VIII. Si quis lectorum adulterae mulieris voluerit misceri vel adhaerere consortio, aut relinquat adulteram aut a clero habeatur extraneus. Simili sententia ostiariorum manebit scola.

85 *X. Observandum quoque decrevimus, ne quis sacerdotum vel clericorum more saecularium iudicum audeat accipere pro inpensis patrociniis munera, nisi forte in ecclesia oblata gratuita, quae non favore muneris videantur accepta, sed collatione devotionis illata. Quod si quaesita probatur accipere, veluti exactor fenoris aut usurarum possessor secundum statuta patrum se noverit degradandum.*

90 *XI. Monachi a monasterio foras egredientes ne aliquod ministerium ecclesiasticum presumant agere prohibemus, nisi forte cum abbatis imperio. Similiter ut nullus eorum id est monachorum forensis negotii susceptor vel exsecutor existat, nisi id quod monasterii exposcit utilitas, abbate sibi nihilominus imperante canonum ante omnia Gallicanorum de his constitutione servata.*

95 *XII. Si ubi defunctus fuerit episcopus intestatus, post defunctionem eius a presbiteris et diaconibus de rebus ipsius brevis fideliter conscribatur, a minimo usque ad maximum, id est de utensilibus vel omni supellectile, ita tamen ut, si quis exinde vel praesumpsisse aliquid vel occulte fuerit tulisse convictus, secundum furti tenorem restituat universa.*

100 *Epistolae tales per patres a metropolitano sunt dirigendae, ut non solum a cathedralibus ecclesiae presbiteris, verum etiam diocesis ad concilium trahant, et aliquos de filiis ecclesiae saecularibus secum adducere debeant.*

Iohannes in Christi nomine episcopus Terraconensis civitatis constitutionibus a nobis conscriptis subscripsi.

105 *Paulus in Christi nomine episcopus subscripsi. Ector episcopus subscripsi. Frotinianus, subscripsi. Agritius, subscripsi. Orontius, subscripsi. Vincentius, subscripsi. Ursus, subscripsi. Cinidius, subscripsi. Nibridius, subscripsi.*

81 mulieris] read mulieri 94 Si ubi] corrected (rightly) to Sicubi by a much later hand 99 Epistolae] The rubricator has neglected to add the number, XIII, before this capitulum. 105–106 Frotinianus] corrected from Fortinianus